



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 1. Continuata Michaelis Baji Historia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ
LIBER CLXX.



PIUS V. PONTIFEX MAXIMUS,
MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Continuata Michaelis Baji Historia.

Ceterum ob tumultus, quibus aliunde Belgium adeo accerbe agitabatur, nonnihil interrompebantur altercationes, quæ olim inter Michaelem Bajum, Hesselium, & utriusque
Hist. Eccles. Tom. XLVIII. A ad

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

Bajana t. 2.
pag. 196.

Sæcul. XVI
A. C. 1566

adversarios fervebant: interea autem Bajus iterato prælo subjecit a se editos de Justitia, justificatione, & sacrificio libellos, qui anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Lovanii primum excussifuerant: insuper eis adjunxit libros *de peccato originis, de charitate, de indulgentiis, & de oratione pro defunctis.* Tertio post anno Parisiis prodierunt *Loci Catholici Francisci Horantii, Hispani Minoritæ:* porro hoc opus plurimum displicuit Bajo, qui plurimas propositiones Pelagianam hæresin sapientes se ibidem detexisse jactabat. De cetero sub idem tempus Patres Societatis atrox bellum indixere Universitati Lovaniensi, nam iidem quarta Julii die Facultati Theologicæ, quam illius Magistris in se invicem pugnantibus divisam, & aliis negotiis intentam cernebant, primitus exhibuerunt literas indulti, quo a Romanis Pontificibus fuerat Societati concessa facultas eos, qui studiis incumbunt in Jesuitarum Gymnasiis, creandi Baccalaureos, Licentiatos, ac Magistros, ceu Doctores, si contigerit, quod eos *gratis* admittere nollent Rectores Academicarum. Hujus Privilegii virtute Societatis Provincialis, & Rector postularunt a sacra Facultate Lovaniensi, ut nonnullis, qui laurea donandi tunc tempo-

temporis erant, ea gratis concedere-
 tur. Facultas hoc petatum repulit, &
 Decanus tot, tamque urgentia protu-
 lit argumenta pro Facultatis juribus,
 ut Provincialis, & Rector nihil habue-
 rint, quod opponerent.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1566.

§. II.

Baji condemnatio Romæ agitata.

Interea æmuli Michaelis Baji illum
 Romæ damnari toto studio urgebant;
 vix enim Pius V. Divi Petri Cathedram
 conscenderat, cum a Cardinale Gran-
 vellano stimularetur, ut hujus Theo-
 logi, necnon Joannis Hesselii libros
 examini subjiceret, ac desuper ulti-
 mum judicium ferret: insuper illi, qui
 priores sententias Pio IV. denunciave-
 rant, addiderunt alias plures, quas tam
 ex posterioribus, quam prioribus ejus
 opusculis excerptas, & collectas asse-
 rebant; porro eas omnes numero
 septuaginta sex Pio V. exhibuerunt, in-
 stantes vehementissime, ut eas proscri-
 beret, ad quod promptius obtinendum
 Minoritas delatores non parum adju-
 visse creditur Pater Montaltius, qui
 a Pio V. in Fratrum Minorum Genera-
 lem recens electus, postea nominaba-
 tur Cardinalis; hic enim eo majori cum
 fervore judicium urgebat, quo certius
 potentissimos Baji adversarios cerneret

Bajana l. c.